


# Pierij Val Elephantus.

Εἰδότες ἔτε αὐτῶ τῶν γυρίων, ἔχ' ὅτι τοῖς κέρασι αὐτῆ χρῆσονται. quod perinde esset, atq; illud quod de asino fertur, Nihil illi cū lyra. Quin & Plautus in hāc sententiā: Meus herus elephāti corio tectus nō suo est, neq; plus habet sapiētīæ, quam lapis. In quā sententiā Græci dicūt ἐλεφαντος διαφερέτω ἕδω. Et Tertullianus eum bestia vocat infulsissimā, et si quā in diuinis literis præ se ferat imaginē. Eucherius hominē eū signo huius dicit indicari, qui magna & enormia scelera perpetrarit, citato ad hoc Solomonis loco: Et adducebant ad Solomonē simias & elephantos. Et tamē Indici, cūm omniū sint ferocissimī, adē vt difficulter cicurari possint, ad instrumētī musici pulsationē cantilenarumq; modulationes animū intendunt, auresq; ad audiendū arrigunt, atq; hinc ita demulcētur, vt nullo alio cōmōto efficacius comprimant ferocitatem. Sanē tria elephantorum genera autores ponunt, palustres, montanos, & campestres. Palustres omnino dementes leuesq; esse, montanos prauos & insidiosos, campestres mansuescieri facilius, & longē dociliores esse: quos nequaquā stupidos existimāt illi qui eos in theatris figurarum notas & mutationes varietatesq; callere, mutorū testimonio cōpertū asserunt. Romæ illud accidisse proditū est, cūm eorū grex & saltationes, & orbiū lubricationes edoceretur, indociliores fuisse vnū: qui cūm à magistris increpatus & castigatus esset, noctu visus est ad vmbra Lunæ institutionis documēta illa per semetipsum attentare, meditari, & exercere. Verū hęc nō ita fortē videantur admiranda, quæ fame magistra discere cogantur: illa potius admiremur, quæ faciūt fieri nullis vnquā legibus instituti, probitate, prudentia & æquitate, nullis ferē animantibus inferiores.

**Q**uid q̄ sponte sua naturā quadam sublimitate præditi, pietatem colunt, & religionem obseruāt: Noua enim apparente Luna, sponte, vbi iure suo degunt, viuo se flumine purificant: si morbis infestantur, Deorum auxilium implorant, herbas cælum versus iaciunt, earum internuncio eō preces allegante: qui quidem gestus excipiendus est ab iis, qui pietatē ex elephanto picto exprimere voluerint. Idem humanis proximis sensibus, sermonem patriū intelligūt, gloriam & honores ambiunt, ignominia notati mortē infamæ vitæ præferunt, quā interdū, alia sibi consciscenda mortis occasione negata inedia finierunt. Quoties verō in theatris oppressi, amissa fugæ spe vulgi misericordiā supplicarūt, & quadam se se lamentatione complorantes, totum caueæ confessum in lachrymas concitarunt.

**C**ū tamen tanta ipsi sint æquitate mansuetudineq; vt crudelitatis alienæ ministerio fungi minimē cogi possint, quod irrito olim Bocehi conatu apparuit, contra minus validas feras pugnare prorsus negant, cūmq; maioribus nō nisi lacessiti: & in grege pecudum ambulantes, occurrentia manu dimo-



PIETAS.

MANSVETUDO.



uent,